

dias, Ionas, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias, ideo dicti prophetarum *minores*, quia vaticinia sua libellis brevioribus sunt complexi; licet caeteroquin auctoritate canonica omnino pares sint prophetis maioribus.

56. QUÆRES XXVII. *Quo tempore prophetarum maiores et minores prophetaverint, et an eo ordine, quo in sacris bibliis ponuntur?* R. Ad intelligenda vaticinia prophetarum tam maiorum, quam minorum magnopere refert scire chronotaxim seu tempus, quo quisque illorum prophetarum vaticinatus est. Hinc scripturistae, nominatim *Cornelius a Lap.* (1), *Tirinus* (2), *Goldhagen* (3), solent oculis subiicere tabulam chronologicam prophetarum tam maiorum quam minorum. Et quamvis hae tabulae inter se discrepent quoad figendum annum mundi, quo primus prophetarum istorum, nempe *Oseas*, prophetare coepit; tamen omnes in eo conveniunt, quod prophetarum tam maiores quam minores intra spatium 300 annorum circiter, aut certe non ultra spatium 400 annorum floruerint.

Porro scire expedit, quinam eorum ante, in, aut post captivitatem babylonicam vaticinati sint; ante captivitatem prophetarum *Oseas, Ioël, Amos, Isaias, Abdias, Ionas, Michaeas, Nahum*: *Ieremias* vero prophetavit paullo ante captivitatem babylonicam, et durante ipsa hac captivitate, quae contigit sub *Sedecia*, rege Iuda. Circa idem tempus prophetarum *Habacuc, Sophonias, Baruch, Ezechiel*. Unde colliges, quod *Ieremias* et *Ezechiel* eodem ferme tempore vaticinati sint: *Ieremias* quidem in Iudaea, *Eze-*

(1) Ad initium comment. tam in prophetas maiores, quam minores.

(2) In chronico sacro ante commenta-

chiel in Babylonia; et idem erat utriusque prophetarum argumentum, hoc solo discrimine, quod quae *Ieremias* clare et aperte iudaeis Hierosolymae, eadem *Ezechiel* in Babylonia tecte per figuras et aenigmata proposuerit; quod ideo fecisse creditur, quia noluit sua innotescere babyloniis, ne hi causam inde sumerent irridendi et vexandi iudaeos; sed voluit illa a solis popularibus suis intelligi, quibus ipsemet omnia explicabat. Circa idem tempus in captivitate babylonica clarere coepit sub *Nabuchodonosore Daniel*, et prophetam egit usque ad tempora *Cyri*. Post reditum iudaeorum ex captivitate babylonica floruerunt *Aggaeus, Zacharias et Malachias*.

Praeterea notandum, quod ex praedictis prophetis aliqui etiam ante eversionem regni Israël (hoc est, antequam decem tribus ad assyrios abducerentur) vaticinati sint. Nam *Oseas, Amos, Isaias, et Michaeas* non tantum de regno Iuda, sed etiam de regno Israël, eiusque interitu prophetarunt; ceteri ex praedictis prophetis ferme unice regnum Iuda respiciunt. Voluit nimirum Deus tot prophetas intra spatium 300 annorum (vel certe non ultra spatium 400 annorum) ad regnum Israël et Iuda mittere, ut lapsos in abominanda scelera, praesertim idololatriae de imminente poena praemoneret, et ad avitam religionem ac Deum patrum suorum revocaret.

Denique ad partem alteram praesentis quaestionis, R. Et dico, prophetas eo ordine temporis prophetasse, quo in nostris bibliis ponuntur, nisi quod quatuor maiores prophetarum cum *Baruch* praeponan-

rium suum in s. Scripturam posito, c. 50.

(3) Part. 2, introduct. in s. Script., n. 209.

tur prophetis minoribus, etiamsi non hos omnes tempore praecesserint. Nam teste *Cornelio a Lap.* (1), cui hac in re etiam caeteri scripturistae ferme in omnibus consentiunt) primus secundum seriem temporis, quo vaticinati sunt, fuit propheta *Oseas*: 2. *Ioël*, 3. *Amos*, 4. *Isaias*, 5. *Abdias*, 6. *Ionas*, 7. *Michaeas*; 8. *Nahum*, 9. *Habacuc*, 10. *Sophonias*, 11. *Ieremias*, 12. *Baruch*, 13. *Ezechiel*, 14. *Daniel*,

15. *Aggaeus*, 16. *Zacharias*, 17. *Malachias*.

Haec de prophetis et prophetis generatim sumptis (maxime in ordine ad scopum nostrum contra incredulos) adnotasse sufficiat. Plures adhuc canones seu regulas, quae ad intelligendos propheticos s. Scripturae libros apprimè serviunt, eruditissime recensent *Salmeron* (2), *Cornelius a Lap.* (3), *Calmet* (4), *aliqui*.

SECTIO II.

DE PROPHETIS MAIORIBUS

CAPUT I.

De Isaia.

ISAIAS secundum etymon nominis sui יֵשַׁעִיָּהּ, *Iescia'iah, Salus Domini* in vaticiniis suis regnum Israël, praecipue tamen regnum Iudae spectat, quam historiam licet respiciat, permagna tamen cura circa vocationem gentium, et Iesu Christi adventum, praedicationem, passionem, mortem, regnumque versatur. Porro hic propheta fuit vir per omnia MAGNUS, puta primo SPLENDORE GENERIS, utpote regia stirpe ortus (5). Secundo, VITAE SANCTITATE, ut patet ex eius scriptis, et ex communi ecclesiae sensu, in qua pridem receptissimum fuit, huic prophetarum titulum *sancti* attri-

buere (6). Tertio, ELOQUENTIA, qua ut aulicus, et e regia stirpe, et regie educatus, plurimum valuit. Unde a s. *Chrysostomo* (7), merito *Propheta vocalissimus* et *magniloquentissimus* vocatur; a *Grotio* (8) vero *Demostheni*; a *Mornaio* (9) *Tullio Ciceroni*; a *Heideggero* (10) fulguranti *Pericli* comparatur; imo *Gaspar Sanctius* (11) neminem illi vel oratorem, vel poetam, vel historicum conferendum putat, utpote quos omnes eloquentia stiloque sublimi longo post se intervallo relinquit, nobilitatem generis sui ipsa dictione prae se ferens. Scripsit autem librum suum hebraice, quem LXX interpretes in linguam graecam, s. *Hieronymus* in latinam transtulerunt; quamvis hodie translatio

(1) In prophetas prooemio, q. 4.

(2) Prolegom. in s. Scripturam, proleg. 10, can. 55, usque ad canon. 48.

(3) Vide in fronte commentarii huius auctoris in prophetas maiores, prooemium et canones, qui faciem praefertunt intelligendis prophetis; item prooemium et canones in 12 prophetas minores.

(4) Praefat. general. in prophetas.

(5) *Isaias* fuit nepos *Amasiae* regis Iuda ex fratre, patruelis, et socer *Manassis*, ut teste *Hieronymo* in c. 20 *Isai.* hebraei tradunt.

(6) In martyrologio romano annuntiat die sexta iulii memoria s. prophetarum *Isaiae*, coliturque is tam in ecclesia graeca, quam latina; quemadmodum in actis sanctorum a *Bollandistis* conscriptis tom. 2 mensis iulii pag. 250 et 251, fuse demonstratur.

(7) Homil. 8 in Genes. et Homil. 40 in 1 ad Cor.

(8) Ad IV. Reg. c. 49.

(9) In lib. de ver. relig. c. 26.

(10) In Ench. bibl. l. 1.

(11) Prol. in *Isaiam*.

graeca ab hebraico et latino textu hinc inde discrepet. Quarto, CONSTANTIA in adversis et glorioso martyrio. Nam serra lignea ab impio rege *Manasse dissectum* fuisse, quod regem et principes acrius increparet, communis est hebraeorum traditio, inquit *Tertullianus, Hieronymus, Basilius, Aymo*, et alii. De magnifica eius sepultura, et egregiis miraculis multa referunt *Epiphanius* et *Dorotheus* (1).

57. QUÆRES I. *Quid de vaticinii* (Isai. c. 7, v. 14, etc.): ECCE VIRGO CONCIPIET ET PARIET FILIUM, etc., *expositione quam auctor impii libri HORUS dicti excogitavit, sentiendum sit?* Antequam respondeam, aliquas annotationes praemittere oportet. PRIMO notandum, quod memorati libri auctor, qui sub assumpto *Horus* nomine latere voluit, in detestando opere suo inani loquacitate ostendere conetur, libros propheticos s. Scripturae nil aliud continere, quam hieroglyphica veterum aegyptiorum et orientalium male intellecta. Atque haec videtur esse una (2) ex rationibus, cur idem auctor sibi adoptaverit fictitium nomen *Horus*. Sicut enim seculo v. quidam grammaticus *Horus Apollo* appellatus, fragmenta veterum aegyptiacorum hieroglyphicorum graeco sermone explicavit (3); ita recentior ille nostrae aetatis *Horus*

(1) In vita *Isaiae*.

(2) Dixi una ex rationibus, etc. Potuit enim etiam alia esse, scilicet illa, quam ipse *Hori* liber totus indicat. Omnia enim in eo plena sunt hieroglyphicis ad *Horum*, aut, melius loquendo, ad antiquissimum aegyptiacum idolum allusionibus. Ubicumque auctor pestiferi huius libri audet prophetas et evangelistas exponere, *Horus* ipsi quodammodo instar clavus servire debet ad aperienda nescio quae aenigmata, quae nullus alius s. Scripturae interpret hactenus in sacris literis videre aut detegere potuit.

(3) Optima editio libri ab hoc gram-

prophetias in sacris literis contentas, quae ipsius opinione eandem cum hieroglyphicis veterum aegyptiacorum et orientalium originem habent, ad horum normam exponere adlaborat (4). SECUNDO notandum, quod idem auctor illud *Isaiae* vaticinium: « Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel... Quia antequam sciat puer reprobare malum et eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris a facie duorum regum suorum » in memorato libro suo (5) sequentibus verbis (quae ex germanico in latinum translata, lectori ob oculos ponimus) exponat: « En! denuo allusio fit ad iuvenem *Horus*. Notum est quod coelestis virgo iuxta opinionem aegyptiorum fuerit *Isis*, mater *Hori*. Ea hunc singulis annis pariebat, quando sol ex signo coelesti virginis ad libram transibat. Quamdiu autem sol in his ambobus regibus coeli, puta in leone et virgine morabatur, tamdiu *Isis* *Horus* gestabat in utero, et omnis regio, exundante Nilo, tegebatur, hoc est, a gemino illo coelesti signo quodammodo deserta erat. - At propheta (nimirum *Isaias*) ipsemet nesciebat, quod virgo illa sit *Isis*, et *Emmanuel* sit iuvenis *Horus*; ideo *Emmanuel* facit *Messiam* iudaeorum - pro ambobus vero

matico de *Hieroglyphicis aegyptiorum* conscripti est illa, quae graeco et latino idiomate an. 1727, cum notis *Ioan. Corn. de Paw* prodiit.

(4) Nam magicum nomen *Horus*, quod impius ille liber in fronte seu titulo suo praesefert, secundum mentem auctoris huius libri indicat, quod idem liber sit. « Aegyptiaco-mythologica demonstratio, sacros libros christianorum nil aliud esse, quam male intellecta hieroglyphica veterum aegyptiorum et orientalium. »

(5) De vaticiniis *Messiam* praenuntiantibus, pag. 288.

illis regibus coeli (leone et virgine) duos reges, nimirum regni Iuda, et regni *Israël* substituit. » Ita fabulosus ille auctor. Sed

¶. Et dico hanc memorati vaticinii *Isaiae* expositionem esse falsam, prorsus gratis confictam, et sibi met ipsi contradicentem. Nam, ut nihil dicam, quod ea sit omnino nova, inaudita, ac contra unanimem ss. patrum, et totius ecclesiae sensum; praeterea etiam ex eo falsa ostenditur, quia *Isaiam* depingit veluti virum, cuius caput superstitionis aegyptiorum fabulis de *Horo*, *Iside*, etc., oppletum; cum tamen sanctus hic propheta morum sanctitate et miraculis (1) insignis, ac ob clarissima sua de Christo vaticinia ab *Hieronymo* et *Cyrillo* nominatus evangelista et apostolus, simulque mosaicae legis quae omnem gentium superstitionem tantopere detestatur (2) studiosissimus fuerit. Dein, si fabula de *Iside* tanquam virgine pariente apud aegyptios iam tempore *Isaiae* erat res pervulgata, adeoque iudaeis, quorum maiores diu in Aegypto commorati sunt, non omnino incognita; num idem propheta ausus fuisset hanc fabulam tanquam signum prorsus novum et inauditum liberandae Ierosolymae et gentis iudaeae regi *Achaz* et iudaeis timentibus excidium proponere, dicens: *Audite ergo, domus David... Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce Virgo concipiet et pariet filium, etc.* Praeterea quomodo inter se cohaerent, quae in fabulosa illa expositione huius vaticinii ab adversario nostro dicuntur, sci-

(1) V. supra praefationem nostram in *Isaiam*.

(2) Vide supra quaest. 4. n. 5.

(3) Plura contra impium librum *Horus* dictum habet cl. *Sandbüchler* supra sect. 4, n. 5 in nota citatus.

licet quod virgo pariens primo sit signum coeleste in zodiaco, dein *Isis*, quam tamen ipsi aegyptii non credebant esse virginem, sed uxorem *Osiris* regis Aegypti, etc.: nullane hic contradictio, vel, si dicere malis, summa absurditas? Verum piget nos ulterioris morae in evisceranda falsitate illius expositionis (3).

COROLLARIUM. Liber *Hori* est recens exemplum, quo de novo demonstratur, in quas absurditates et errores intellectus humanus sibi soli relictus, aut spiritu privato ductus deviet, si deserto ss. patrum et ecclesiae sensu s. Scripturam interpretari audeat, prout novatores solent. Aliud simile exemplum in sequentibus duabus quaestionibus mox adducemus, in quibus etiam genuinum sensum memorati vaticinii *Isaiae* pluribus explicabimus.

58. QUÆRES II. *Quenam memorati vaticinii de Virgine paritura* (Isai. c. 7, v. 14, etc.) fuerit expositio *IOAN. LAURENTII ISENBIEHL*, et quam iuste ea sit condemnata? ¶. Iuxta iudicium theologorum *argentiniensium* 5 aprilis 1778 de libro *I. L. Isenbiehl* (4), eiusque expositione vaticinii *Isai*. loc. cit. de Virgine paritura latum, totum huius auctoris systema ad has tres propositiones reducitur: I. *Isai*. c. 7, v. 14 et 15, dicens: « Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum », nihil praedixit de Christo et eius matre. II. *Emmanuel* *Isaiae* de Christo intelligi nequit, seu in sensu literalis, seu in sensu typico. III. S.

(4) Titulus huius libri germanice vulgati est: *Iohann Lorenz Isenbiehls neuer Versuch über die Weissagung vom Emmanuel*, sive latine: *Ioan. Laurentii Isenbiehl novum tentamen de Emmanuele*, 1778.

Matthaeus, in evangelio suo cap. 1, v. 22 et 23, de conceptione et partu Christi futuro per Angelum Mariae annuntiatio ita loquens: « Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: Ecce virgo in utero habebit et pariet filium; et vocabunt nomen eius Emmanuel; quod est interpretatum nobiscum Deus » textum Isaiae cap. 7, v. 14, ut meram adnotationem historicam adducit, vel tantum ad illum alludit. Porro has tres propositiones laudati theologi argentineses in iudicio suo theologico (1) declararunt esse *haereticas*, addentes haec verba: Declaramus pariter in tentamine seu opere auctoris (*Ioan. Laurentii Isenbiehl*) de dicta prophetia (*Isaiae*) plures alias reperiri propositiones *falsas, temerarias, scandalosas, ecclesiae et patribus iniuriosas, ac haeresi faventes*. Nomina autem eorum, qui huic iudicio theologico subscripserunt, sunt sequentia: *LOUIS s. theologiae professor, eiusdem facultatis syndicus, et summi chori ecclesiae cathedralis praebendarius. HIRM s. th. d. th. m. prof. sem. dir. ad s. Petrum canonicus et schol. SAETTLER s. th. professor ad s. Petrum seniore canonicus. BRENDL s. theol. et iuris can. doct. ac eiusdem prof. nec non facult. can. synd.* Ceterum huic censurae seu iudicio theologico in comitiis die decima maii habitis lectae sacra facultas argentiniensis unanimiter adhaesit, eamque approbavit, quod et subscriptione sua et maioris sigilli appositione testatus est, *Argentinae* undecima maii 1778. *BANTZ univers. rector.*

(1) Hoc iudicium theologorum argentiniensium typis impressum est *Moguntiae*, ex typogr. aulic. academ. priv. apud *Ioan. Alef*, haered. Haefner. 1778.

(2) Hanc prohibitionem dicti libri ab

Verum non solum a facultate theologica *argentiniensi*, sed etiam a *Sorbona*, seu facultate sacra *parisiensi* expositio *isenbiehliana* citati loci *Isaiae* de virgine paritura censurata et reiecta est 1 august. 1778, tanquam *perniciosa, temeraria, scandalosa, erronea, contraria verbo Dei*.

Praeterea memoratus liber et expositio *isenbiehliana* severissime prohibita est ab archiepiscopali vicariatu *Moguntino* 9 martii 1778, in qua prohibitionem ad finem adduntur haec verba, quae ex germanico in latinum translata, referimus: « Cogimur, hanc prohibitionem eo magis divulgare, quia libertas contra religionem christianam loquendi et scribendi nostra aetate per omnes hominum status tam late propagata est, ut multi de christianismo nil nisi solum nomen christiani retineant, et praecipue non pauci eo audaciae procedant, ut s. Scripturae probrosissime vim inferant, in huius expositione a sensu ss. patrum penitus deflectant, sicque in periculosissimos errores secundum ductum propriae rationis suae prolabantur, eosque cum universali scandalo christianorum vere catholicorum, et ad maximam animarum ruinam disseminent (2). »

Simili fere modo sonat prohibitio dicti libri et expositionis *Isenbiehlinae*, qua episcopus *spirensis* 24 aprilis 1778, eandem proscripsit (3).

Sed, quod caput rei est, ipse ss. dominus noster Pius VI. eundem librum damnavit, et quia in hac damnatione ulcus novatorum, qui sacras literas secundum proprium

archiepiscopali vicariatu *Moguntino* factam recenset *cl. H. Goldhagen*, p. 3, sui diarii relig. (*Religions Journal*) p. 194-196.

(3) Vide *Hermann. Goldhagen*. Ibidem, pag. 295-96.

arbitrium suum aut ductum spiritus privati contra sensum ss. patrum interpretari audent, ad vivum tangit, eiusdem sapientissimi et doctissimi pontificis verba magnam partem hic recensenda censeo. Inter alia ita ait: « Dolemus autem maiorem in modum, quod ex iis ipsis, qui catholicam religionem profitentur, non desint errorum magistri, qui profanis novitatibus indulgentes, dum terminos transiliunt, quos patres nostri posuerunt, a via veritatis deflectunt; et domestici fidei cum sint, seu potius videri velint, apertis hostibus se adiungere non verentur, eisdemque ad impietatis propagationem nova veluti subsidia et adiumenta suppeditare; hi scilicet praedicti sunt, qui veniunt ad vastandum gregem, tecti vestimentis ovium, eo deteriores, quo sunt ad nocendum aptiores. Hinc commovemur etiam christianae plebis periculo, cuius fidei innocentiae laqueos, insidias, fraudes omni ex parte comparari animadvertimus. Nam ad quae iam grex sanctus septa confugiet, si intra ovilia ecclesiae saucietur? Id tum saepe alias, tum maxime praecipua quadam ratione hisce praeteritis mensibus experti sumus, cum ad aures nostras allatum est, superiori anno teterrimum librum prodiisse germanico idiomate conscriptum, ex quo maxima christiano populo certissimaque pernicietas impenderet. Is autem liber hunc titulum praefert: *Iohann Lorenz Isenbiehls neuer Versuch über die Veissagung vom Emmanuel... 1778.*

» Mirum dictu, quantam liber iste, statim atque vulgari coepit, bonorum omnium indignationem commoverit mirantium, ab homine sacris addicto tantam errorum labem in tam exiguum opus conici potuisse; tum etiam dolentium,

non id tantum agi, ut veneni particulam, qui legant, per imprudentiam hauriant; sed eo totam infelicis tentaminis summam spectare ac ducere, ut posthabita patrum auctoritate, quos ecclesiae suae Deus doctores dedit ac pastores, novis, peregrinis, atque a privato, depravatoque spiritu profectis explicationibus divina oracula pervertat... Sane, cum ad divini verbi puritatem conservandam, et a petulantibus ingeniis vindicandam, tridentini patres decreverint, ut in rebus ad fidem et mores pertinentibus nemo sacram Scripturam contra eum sensum, quem tenuit ac tenet sancta mater ecclesia, aut etiam contra unanimem consensum patrum interpretari audeat, querebantur, non eo decreto coerceri potuisse procaz hominis ingenium; sed eo temeritatis et insaniae progressum esse, ut saluberrimam regulam, nec sine divini Spiritus ope constitutam, fallacibus commentis eludere, seu verius in discrimen et contemptum adducere niteretur. Maxime vero se prodidit catholicorum offensio, cum praedicari audierunt, propheticum oraculum de divino Emmanuelis ortu ex virgine, non ad virgineum Deiparae partum, quem prophetae omnes annuntiaverunt, non ad verum Emmanuelem Christum Dominum ullo sensu, sive literali, sive typico, pertinere; cumque s. *Matthaeus* insigne istud vaticinium in illo mirabili pietatis sacramento adimpletum expressis verbis testatur, hoc tamen ipsum non ut oraculi adimplementum, sed ut adnotationem meram vel allusionem a s. evangelista memorari. Qua in re horruerunt piaae aures, Scripturam simul et traditionem, qualis perpetuo ex unanimi patrum consensu ad nos pervenit, per summam impudentiam labefactari.

» Quae cum ad nos multorum literis et querelis deferrentur, succurrat animo, quod iam olim querebatur Leo M. epist. synod. ad Flavianum — in hanc eos insipientiam cadere, qui cum ad cognoscendam veritatem aliquo impediuntur obscuro, non ad propheticas voces, non ad apostolicas literas, nec ad evangelicas auctoritates, sed ad semetipsos recurrunt. Certum est autem, quod pridem edixerat s. Caelestinus, scribens ad clerum et populum constantinopolitanum, — quia tales sermonum novitates de vano gloriae amore nascuntur: dum sibi nonnulli volunt acuti, perspicaces, et sapientes videri, quaerunt, quid novi proferant, unde apud animos imperitos acuminis gloriam consequantur.»

Demum ss. Dominus noster, postquam fuse retulisset, quanta cura et circumspectione liber ille *Ioannis Laurentii Isenbiehl* Romae fuerit examinatus, damnationis sententiam fert his verbis: « Nos itaque pro apostolico munere, quo licet immeriti fungimur... motu proprio et ex certa scientia nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine, antedictum librum *Ioan. Laurentii Isenbiehl* novum tentamen in prophetiam de Emmanuele 1778 in duas partes divisum..... tanquam continentem doctrinam et propositiones respectively falsas, temerarias, scandalosas, perniciosas, erroneas, haeresi faventes, et haereticas damnamus, ac pro damnato et reprobato in perpetuum habere volumus atque decernimus etc. « Subscriptio autem in fine huius prohibitionis et damnationis est haec: « Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die 20 septem-

(1) In appendicibus secundae partis diarii *Religion*, appendice speciali secunda.

bris MDCCLXXIX pontificatus nostri anno v.»

Porro si quis hanc damnationem et prohibitionem dicti libri a Pio papa VI factam legere integram cupit, eam apud cl. *Hermannum Goldhagen* (1) inveniet. Idem auctor (2) iussu archiepiscopalis ordinatus *Moguntini*, suo diario, quod religioni dedicat, etiam palinodiam seu retractationem *Ioan. Laurentii Isenbiehl*, ut publicaretur inseruit, quae ex germanico in latinum sic transferri potest: « Infrascriptus profiteor publice et sincere, quod novum tentamen in prophetiam de Emmanuele, quemadmodum apposita praefatio testatur, bono quidem fine catholicae ecclesiae aliquam operam praestandi scripserim. Postquam autem sanctissimus pater Romae hoc meum scriptum maturius expendit, et de eodem dogmaticum iudicium necessario ferendum censuit, sensa mentis meae candide et sine furo aperio, nimirum quod illud meum novum tentamen, cum iuxta effatum sanctissimi patris falsas, temerarias, scandalosas, perniciosas, erroneas, haeresi faventes, et haereticas propositiones contineat, simpliciter et sine restrictione aut exceptione reiicimus, et damnem. *Moguntiae*, 25 decembris 1779 *Ioannes Laurentius Isenbiehl* m. p.»

59. Ex dictis et maxime ex prohibitionem dicti libri a Pio VI summo pontifice facta facile patet, quam iuste hic liber proscriptus sit. Si quis autem amplio rem eiusdem refutationem desiderat, consulat *iudicium theologorum argentinensium* ad initium praecedentis num. 58 citatum. Inveniet in eo solidam et prolixam confutationem systematis *Isenbiehliani* de virgine paritura, non solum ex unanimi contraria sen-

(2) Ibidem, pag. 87-89.

tentia patrum omnium saeculorum, sed etiam ex XVI aliis argumentis generalibus, quorum unum duntaxat, alterumve hic recenseo, quod simul serviet ad plene intelligendam *Isenbiehlianam* in vaticinium *Isaiae* de virgine paritura et *Emmanuele* doctrinam. Itaque argentinenses theologo (1) primum suum argumentum sic instruunt: « Cum quaeritur, an versus 14 et 15, cap. 7 *Isaiae*: *Ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel etc.* intelligendi sint de B. V. et Iesu Christo, nemo sane melius quaestionem dissolvere potest, quam ipsa ecclesia; nemini enim licet... in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium sacram Scripturam ad suos sensus contorquere contra eum sensum, quem tenuit et tenet s. mater ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum..... Trid. sess. IV ecclesia autem iudicavit dictos versus spectare ad IESUM Christum eiusque virginem matrem; sententia certe ecclesiae aperte habetur in libris liturgicis (2). Spectare vero ad aedificationem doctrinae christianae dictum prophetiae sensum quis negat, qui consideraverit, de illa prophetia populum fidelem toties et ubique edoceri, tanquam de firmo fundamento veritatum, quas credit revelatas de virgineo partu IESU Christi Dei simul, et hominis.

(1) In suo iudicio theologico supra num. 58, in nota (1) citato, pag. 54 et 55.

(2) Vide missale romanum feria 4, quatuor temporum adventus lectione secunda; item missam in festo Annuntiationis b. *Mariae* Virginis; et missam de s. *Maria* ab adventu usque ad Nativitatem Domini. Dictam *Isaiae* prophetiam etiam adhibet liturgia arabica in lectione Nativitatis apud *Waltonum* tom. 5, pag. 49 in *Isaia*; in aliis quoque officiis divinis citato vaticinio *Isaiae* ad Christum

» Simile fere argumentum ex auctoritate ecclesiae efformat summus pontifex *Bened. XIV* in festis B. V. lib. 2, cap. 2, num. 8, ubi probat in his evangelistae (*Lucae*) verbis cap. 2, v. 22: *Et postquam impleti sunt dies purgationis eius..... vocem eius referendam esse ad beatam Virginem, non ad IESUM, quia ecclesia catholica, cuius est ss. interpretari Scripturas, non modo in martyrologio festivitatem appellat Purificationem B. *Mariae*, sed in evangelio, quod in missa legendum praescribit, loco pronomini eius ponit *Mariae*.*

60. NEQUE DICAS cum *Isenbiehlio* (3): Ecclesia de hoc textu: *Ecce Virgo concipiet etc.*, nihil formaliter definivit. Ne, inquam, hoc dicas. Merito enim theologo argentinenses (4) hanc responsionem *Isenbiehlianam* refutant sequentibus rationibus: I. Quamvis ecclesia expliciter et formaliter id non definiverit, tamen omnes catholici haec verba, *Ecce Virgo concipiet etc.*, unanimiter de Christo et sanctissima eius matre virgine semper intellexerunt. Unde *Estius* in hunc locum Scripturae ait: « Inter christianos nulla est quaestio, quin his verbis contineatur vaticinium de partu Virginis, seu nativitate Salvatoris ex Virgine. » Imo interpretes plures non haesitarunt pronuntiare de fide esse, citatum textum *Isaiae* de Christo et b. Virgine intelligendum esse. Sic *Cornel. a Lap.* (5) inquit:

et sanctissimam eius Matrem Virginem designandam Ecclesia utitur. Legatur in Breviario romano antiphona ad magnif. pro die 25 decembr. Item capitulum ad vespertas, et lectiones primi nocturni in festo Annunt. B. V.

(3) In suo opere de memorata prophetia *Isaiae*, pag. 154.

(4) In suo iudicio theologico de *Isenbiehliano* systemate, pag. 75-82.

(5) Comment. in c. 7. *Isaiae*, p. 146.

« Dico ergo: de fide est, sic vertendum esse: *Ecce Virgo concipiet*: et haec verba intelligenda esse de beata Virgine Deipara, integra et intacta virginitate Christum Dominum concipiente et pariente, ita ut qui hoc neget, sit haereticus; ut fuit *Helvidius*, contra quem scripsit s. *Hieronymus*; id patet Matth. 1, v. 20 et 23: » *Tirinus* (1) ait: « Porro vaticinari hic *Isaiam* de conceptione Christi in utero virginali *Mariae*, de fide est, ex Matth. 1, v. 22, ubi... dicit (evangelista) impletum fuisse, quod dictum est a Domino per prophetam, *Ecce Virgo in utero habebit etc.* Unde fas non est christianis hac de re dubitare. »

Nec immerito ita docent catholici, si modo antiqua ecclesiae traditio spectetur: fatebitur enim quilibet, prophetiam *Isaiae* de Virgine paritura aequae facile et constanter de virgineo Christi partu ab ecclesia (2) fuisse intellectam, quam alios psalmorum textus de Christo, e. g. illa psalmi xv, v. 10 verba: « Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem: » et tamen *Theodoro Mopsuesteno* haec verba aliter interpretanti *Vigilius* papa in suo Constituto (3) anathema dixit, ita effatus: « In supra scriptis 21 et 22 capitulis (*Theodori Mopsuesteni*) hoc videtur dici, prophetiam, quae ex persona Christi loquens ait: *Non derelinques animam meam in infernum, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*: non de ipso Christo praedictam fuisse, sed de populo israeliticae

(1) Ibid. v. 22.

(2) Vide supra n. 59.

(3) Tom. 2 conciliorum part. 2, pag. 19, edit. Colon. M. DC. XVIII.

(4) Sic s. *Petrus* Actor. c. 2, v. 51, ait: *Providens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro eius vidit corruptionem.* Et s. *Paulus*

generationis: beatum vero *Petrum* apostolum ad Christum hanc prophetiam per eventum aptare voluisse, et ideo, qui haec ita sapit, docet, credit, aut praedicat, anathema sit. » Ratio autem, cur *Vigilius* papa hoc anathema vibret in *Theodorum Mops.*, est quia apostoli (4) in sensu literaliter intellexerunt de Christo citatum textum, quem *Theodorus* contendebat Christo tantum aptari posse per eventum; quomodo fere iuxta *Isenbiehlium* s. *Matthaeum* (cap. 1, v. 22) verborum *Isaiae* meminit. Ergo *Vigilius* idem anathema vibrasset in eum, qui illum textum *Isaiae* Christo tantum per eventum aptari potuisse docuisset, sicut *Isenbiehlius* docuit.

Addunt theologi *argentineses* (5) et ita argumentantur: « Si quis diceret verba haec Christi: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, non spectare Corpus Christi eucharisticum... quid responderet auctor (i. e., *Isenbiehlius*)? Certe non diceret, ecclesiam formaliter definitivisse, haec verba significare eucharistiam; talis enim definitio (seu expressus canon id definiens) nullibi legitur: responderet ergo per haec Tridentini verba sess. xiii, cap. 1: *Ita enim maiores nostri omnes, quotquot in vera Christi ecclesia fuerunt, qui de sanctissimo hoc sacramento disseruerunt, apertissime professi sunt, hoc tam admirabile sacramentum in ultima coena Redemptorem nostrum instituisse; cum post panis vinique benedictionem se suum ipsius corpus praebere, ac suum sanguinem disertis ac per-*

Actor. c. 15, v. 54 et 55, inquit: *Quod autem suscitavit eum a mortuis, amplius non reversurum in corruptionem... alias dicit: Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.*

(5) In citato iudicio-suo-theologico, p. 80 et 81.

spicuis verbis testatus est, quae verba a ss. evangelistis commemorata et a d. Paulo postea repetita, cum propriam illam et apertissimam significationem prae se ferant, secundum quam a patribus intellecta sunt; indignissimum sane flagitium est, ea a quibusdam contentiosis et pravis hominibus ad fictitios et imaginarios tropos, quibus veritas carnis et sanguinis Christi negatur, contra universum ecclesiae sensum detorqueri. Haec ipsa autem respondemus auctori (i. e., *Isenbiehlio*) quoad textum *Isaiae*, et id non sine fundamento, ut ex dictis patet. » Ita laudati theologi, ex quorum argumentatione simul de novo elucescit, quam iustam causam damnandi librum *Isenbiehlii* de illo *Isaiae* vaticinio, *Ecce Virgo concipiet etc.*, disserentem habuerit ss. dominus noster PIUS VI.

61. SCHOLION. Eruditus lector fortassis scire cupit I. Qualem Virginem, aut filium Virginis nomine *Emmanuelis* insignitum in vaticinio *Isaiae* (cap. 7, v. 14) intellexerit *Ioan. Laurentius Isenbiehl* cum negaverit Virginem illam esse matrem Christi, et filium illum esse IESUM Christum? II. Quo sensu idem auctor dixerit, s. *Matthaeum* (cap. 1, v. 22 et 23) vaticinium illud *Isaiae* citasse duntaxat per historicam annotationem vel applicationem aut allusionem; et quomodo hoc probaverit?

R. AD PRIMUM: In vaticinio *Isaiae* loc. cit. secundum systema *Isenbiehlii* non est sermo de virgine, quae per stupendum miraculum semper virgo permaneret in conceptu et partu filii, sed de virgine seu puella, quam propheta *Isaias* regi *Achaz* digito praesentem monstraverant, et quae ex matrimonio proxime contrahendo aliquem filium, qui vocandus esset *Emmanuel*, mo-

do communi conceptura et paritura erat: huius enim prophetiae (*Isa.* 7, v. 14): *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel*, genuinus sensus secundum systema *Isenbiehlianum* fuisset iste: « Ex hoc signo, tu (o *Achaz*, cum ceteris iudaeis) discas, te ab hostibus tuis liberandum: scias hanc tibi liberationem obventuram intra spatium temporis, quod requiritur ad hoc, ut puella modo adhuc virgo, quam hic praesentem vides, nubat et pariat, id est, intra novem menses; et infans post novem menses natus, *Emmanuel* (i. e., *Nobiscum Deus*) vocandus est, ut certum fiat, Dei auxilio te ab hostibus tuis liberatum. » Itaque systema *Isenbiehlianum* ad haec quinque puncta revocatur. 1. *Isaias* loquitur de puella nuptura, conceptura et paritura filium modo communi et naturali. 2. Haec puella regi quasi digito monstrabatur praesens a propheta. 3. *Isaiae* verba nullo modo respiciebant Christum, nec eius matrem. 4. Consequenter signum, quod promittebat *Isaias*, non erat verum miraculum. 5. Hinc s. *Matthaeus* hoc *Isaiae* vaticinium in evangelio suo (cap. 1, v. 22 et 23) allegans, aliter explicari non potest, nisi quod textum *Isaiae* citaverit per historicam adnotationem vel applicationem aut allusionem. Ita systema *Isenbiehlii* referunt et testantur theologi *argentineses* (1).

R. AD 2. Quando *Isenbiehlius* ait, s. *Matthaeum* in evangelio suo (cap. 1, v. 22 et 23) illud vaticinium *Isaiae* prophetae: *Ecce Virgo concipiet etc.* citasse duntaxat per historicam adnotationem vel applicationem aut allusionem, vult, quod va-

(1) Ibidem p. 2 et 62.

vicinium illud non tunc primum in conceptu et partu Mariae Christum concipientis et parientis fuerit impletum, sed quod s. *Matthaeus* illius vaticinii solum meminerit, quia inter verba *Isaiae* regem *Achaz* alloquentis, et verba angeli s. *Iosephum* alloquentis, quaedam intercedit similitudo: dixerat enim angelus (Matth. 1, v. 21): *pariet autem filium, et vocabis nomen eius Iesum*: dixerat *Isaia*s ad *Achaz* (Isa. 7, v. 14) — *Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel*. Hinc concludit *Isenbiehlius*, verba *Matthaei* (cap. 1, v. 22 et 23): *Hoc autem totum factum est ut adimpleretur, quod dictum est per prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit etc.*, nil significare aliud quam adnotationem quandam historicam ad verba angeli a *Matthaeo* factam: ita ut vox *adimplere* nil exprimat aliud, quam applicationem quandam vel allusionem ad verba *Isaiae* demonstrantis regi *Achaz*, adolescentulam mox nupturam et parituram filium, qui sit signum liberationis proxime futurae. Ita systema *Isenbiehlii* denuo referunt theologi *argentinienses* (1).

Verum haec explicatio vocis *adimpleretur* ab *Isenbiehlio* facta, est torta, et contra unanimem ss. patrum, totiusque ecclesiae sensum, unice a dicto auctore excogitata ad sui systematis defensionem, ac tam parum naturalis et obvia, ut nemini ante ipsum in mentem venerit. Certe ipse *Isenbiehlius* (2) non diffitetur, suam illam explicationem esse omnino neotericam, et omnium aliorum (scilicet catholicorum) sententiae contrariam. Ita enim disse-rit: « Primus aspectus vel prima consideratio horum verborum: *Hoc autem totum factum est etc.*, clare

(1) Ibidem p. 6-9.

videtur indicare, evangelistam credidisse praedictionem *Isaiae* c. 7, veterem esse prophetiam, quae usque ad id tempus nondum fuerit impleta, quae complementum suum habuerit tantum in B. V. Maria, eiusque filio Christo. Si enim iam impleta fuisset, vel de Christo non ageret, inepte fuisset allata; cum immediate ante allegationem eius prophetiae de nulla alia re mentio fiat, quam de virgineo conceptu Mariae et de angelo Salvatore mundi ab ipsa nascituram annuntiantem: et statim post allatum vaticinium narratur, ille re ipsa natus: in medio autem huius narrationis affertur prophetia, quae idem dicit, quod in evangelio describitur; utitur evangelista ad relationem illius prophetiae hac formula: *Hoc totum factum est, ut impleretur etc.*, ex quo nihil aliud concludi potest, quam quod eius mens fuerit virginem Iesu nativatem his verbis praedictam fuisse; quomodo enim alioquin prophetam citare, vel etiam de eo cogitare potuisset? Prophetas (*Matthaeus*) saepius citare solet ut evangelio suo magnum auctoritatis gradum conciliet; et hic probabiliter in praesenti loco fuit eius scopus. Paganis et iudaicis incredibile et falsum videri debebat, IESUM non ex viri semine, sed contra omnem naturae usum ex Virgine fuisse natum. *Matthaeus* non poterat hanc veritatem verisimiliorem et credibiliorem reddere iudaicis (in quorum favorem hebraice scripserat suum evangelium), quam si illis monstraret, supernaturalem hunc partum ab *Isaia* iam olim esse praedictum. Ad hoc autem praestandum in toto evangelio opportunior non habebat occasionem, quam in cap. 1 (sui

(2) In citato suo opere pag. 147.

evangelii), in quo generationem Iesu secundum ordinem et circumstantias describit. Sic omnes ex evangelio *Matthaei* concludunt. » Huc usque *Isenbiehlius*. En! Ulro fateatur suam s. *Matthaei* cit. loc. explicationem esse omnium aliorum fundatissimae sententiae contrariam.

62. COROLLARIUM. Omnibus ergo consideratis, *novum tentamen Isenbiehlii in prophetiam Isaiae* cap. 7, v. 14 merito et multipliciter (1), ac ab ipsa sede romana (2) fuit damnatum, utpote sensui omnium pp. ac totius ecclesiae, ac etiam verbis atque scopo s. *Matthaei* omnino contrarium. Sanctus enim hic evangelista cap. 1 sui evangelii v. 18 sic inchoat: *Christi autem generatio sic erat*: narrat deinde, quomodo s. *Iosephus* viderit b. Virginem in utero habere; quomodo eam occulte dimittere voluerit, quomodo ab angelo de mysterio edoctus et iussus sit, ut filium Mariae vocaret IESUM. His narratis, evangelista v. 22 addit: *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per prophetam etc.*, ubi evidens est, *Hoc totum factum est*, referendum esse ad omnes mysterii circumstantias a praecedente versu 18 usque versum 22 narratas; illudque contigisse, prout ipse Dominus per prophetam prae-

(1) Vide supra n. 58.

(2) Ibidem.

(3) Munimen fidei, sect. 1, c. 21. Examen des prophètes, § 8, p. 46. Esprit du judaïs. c. 9, p. 158. Opinions des anciens sur les juifs p. 122. Quest. sur l'encycloped. Prophéties. Ac praeter hos *Du Marsais* in Anatom. religion. christian., ubi, postquam asseruit, per virginem parituram (Isai. c. 7, v. 14) significari uxorem *Isaiae*, ita concludit, seu potius blasphemat: « Ex his patet, quam parum hic locus Scripturae respiciat nativatem Iesu Christi. Non unus duntaxat criticus, imo ipse abbé *Houtteville* ma-

dixerat. Additur id factum esse, ut adimpleretur haec prophetia: *Ecce Virgo concipiet etc.* Praeterea evangelista explicat nomen *Emmanuelis*, quod est interpretatum *nobiscum Deus*, ut nemo dubitaret, illum, cuius generationem ab *Isaia* loc. cit. praedictam, ibi describit, esse ipsum *Emmanuelem*, et non filium aliquem, communem, ex adolescentula quapiam natum, ut *Isenbiehlius* voluit; quis igitur hic simplicem et nudam citationem, applicationem vel allusionem ad verba *Isaiae* suspicetur, et non potius inferat, in nativitate Christi ex Maria geniti impletum esse vaticinium illud *Isaiae*? Aut quibusnam ergo verbis (si ista non sufficiunt) utendum fuisset *Matthaeo*, si voluisset significare, prophetiam ab *Isaia* factam habuisse complementum in nativitate Christi ex Maria nati?

63. QUÆRES III. *Quomodo iudaei cum incredulis, multisque aliis novatoribus vaticinium Isaiae de Virgine paritura* (cap. 7, v. 14) *exponere soleant, et quid de eorum expositione sentiendum?* R. Res mira! Increduli, qui alias populum et religionem iudaicam tantopere contemnunt, dicti tamen vaticinii expositionem ex libris iudaeorum excubere, et contra christianos in medium proferre non erubescunt, cum iudaicis (3) asserentes, prophe-

luerunt hoc vaticinium *Isaiae* silentio praeterire, quam eius mentionem facere, quia advertabant, credulitatem hominum illo nimis impudenter ludificari. Et profecto mirandum est quod *Matthaeus* ausus sit, tam ridiculam huius vaticinii applicationem (ad partum Christi) facere, et quod homines alias valde perspicaces, tamen hac in re adeo debiles sint iudicii, ut dicti evangelistae exemplum (seu doctrinam) sequantur. » Ita *Du Marsais*; prout testatur et refert el. *Nonnotte* Diction. philos. de la relig. p. 2, art. *Prophéties*, § 4, p. 375.